

### Ad Apulei Metamorphoses.

VI 13 p. 105, 3 Eys. *Sic arundo . . . Psychen . . . salutem suam docebat, nec auscultatu penitus intento diligenter instructa illa cessavit. Penitus intento est emendatio Iahnii, codices praebent penitendo. Lenius emendabis auscultatu impaenitendo, cf. p. 223, 25: nunc tantas caerimonias aditurus impaenitendae te pauperiei cunctaris committere.*

VII 1 p. 117, 18 *postquam vos enim fortissimis viribus cunctis ablatis castra nostra remeastis. Petschenig 'Wiener Studien' IV 1882 fasc. 1 emendat fortissimi suis rebus. Equidem lego postquam vos enim fortissimi viri rebus cunctis ablatis castra nostra remeastis.*

VII 27 p. 133, 5 *utcumque se praesumit innocentem, est enim congruens pessimis conatibus contra noxiam conscientiam sperare securitatem. Non multis verbis indiget ut sagaci lectori probes haec ne umbram quidem sani sensus praebere: sperari securitas ex simulata innocentia potest, sperari contra malam conscientiam non potest. Nonnulli libri mss. habent separare, quod censeo mutandum in parare. Est autem securitas in hoc verborum contextu non salus, sed simulata tranquillitas, qua mali meritam poenam effugere conantur.*

VIII 10 p. 141, 6 *quoad dies reliquos metiatur annos. Requiri videtur emetiatur vel permetiatur. cf. p. 98, 13 iamque naviter emensis celsioribus iugis. p. 181 emensis protinus scalis. p. 143, 28 silvosi montis asperum permensi iugum. p. 209, 31 spatium saeculi tui permensus.*

VIII 21 p. 147, 17 *mox hora diutina commoti. Hora diutina nihil est, aut cum Stewechio et deterioribus codicibus legendum mora diutina, aut hora diurna.*

Harlemi.

Ioh. van der Vliet.